



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Edvardvs M. 18. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

*vitias, nec incurvatur divitiis, sed levatur, Divitiarum servus, non dominus est avarus: at misericors tot servos habet, quot nummos. S. Pet. Chryf. ferm. 4.*

## S. EDVARDVS M. 18. Martij.

**S**vitulerat Edgarus Angliæ Rex binos filios: ex Elfedâ, lectissimâ matronâ, EDVARDVM nostrum? ex Elfridâ improbissimâ muliere, Ethelredum. Illi utpote natu majori regnum Edgarus, & quæ major regno hereditas est, virtutem reliquit. Non hanc, sed illud invidit novercâ improba, & quò purpuram Ethelredo suo pingeret, sanguinem statuit EDVARDI fundere; quin si fieri aliter jam non possêt, cum diademate caput auferre. Commodum impijs consiliis accidit, ut quanto regni suo anno illic venaretur EDVARDVS, ubi pessima fera noverca stabulabatur. Nimirum hæc venatori laqueos ponit, rogat tectis hospes filius succedat. Abnuentem, haustum certè è manibus parentis accipiat, obtestatur. Heu! ut nunquam magis odit novercâ, quàm dum amat! Dum bibit, subornatus ad scelus servulus, cultro necem domino fert, vinumque sanguine miscuit; corpus exanime in proximâ casâ occultatum: sed scelus Elfridæ unaque virtutem EDVARDI prodidit etiam in nocte lux insolita, casam omnem illustrans, lucemque ad eò mulierculæ inhabitantis oculis ferens, quam nunquam prius videre. Iterum in paludes abjectum cælum ostendit indice columnâ igneâ. Ergo extractum omnique honore tumulatum Martyris corpus fontem prope dedit, ex quo passim sanitatem ægri bibebant. Novercâ etiam veniam oratura illuc contendit, sed neque eques, neque pedes progredi unquam potuit, semper vi, nescio, quâ

quã arcanã repulsa. Dixisses neque supplici no-  
vercã jam manes fidere. *Ex Surio.*

*Plantare pacem radicibus, Dei est: evellere peni-  
tus, inimici. Nam sicut amor Fraternitatis ex Deo  
est, ita odium ex Diabolo: quapropter damnanda  
sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem  
suum, homicida est. S. Pet. Chryf. serm. 53.*

## S. IOSEPHVS SPONSVS B. M. V.

19. Martij.

**C**ompendium laudum IOSEPHI dedero, &  
convixisse IESV & MARIÆ dixerò; huic  
Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum.  
Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavi-  
sus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraq; VII.  
fuisse binis è D. Francisci cœtu ipse voluit manife-  
stum. Et gaudio quidem primus omnium delini-  
vit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam  
MARIAM intellexerat, tum deinde aures recrea-  
runt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles;  
sed longè demulsit suavius nomen, quod ipse in-  
didit, dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis, quæ  
Servatorem puerum; dejecta in Ægypto simula-  
chra Dæmonum, quæ DEVM loquebantur, & An-  
gelus, qui patriam exules revocabat, alijs atque  
alijs gaudijs cumularunt. Illud demum delitijs  
inundavit, cum quod charissimum habuit pignus,  
amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa  
dolorum fuere: tristis primò, quem à VIRGINE  
parabat, secessus; tum pauperes cunæ, & prima,  
quæ imbris prælusit, sanguinis pluvia; mox gla-  
dius Simeonis, cor Sponsæ non nisi per præcordia  
Sponsi petiturus; post fugam præpropera & Arche-  
lai tyrannis; demum amissa in uno Puero omnia  
bona